



Moneta alia horum Imperatorum in qua est naus quinqueremis, quæ à mari agitatur. In mari Delphini & alii pisces adparent. In naus medio Imperator cum filio, stipatus militibus partim loricatis & hastatis, partim signa militaria ferentibus, conspicitur. In prora sedet nauta temonem ducens, cum inscriptione, **T R A I E C T V S** **A V G V S T O R V M.**



Metius Marullus ex Gracchorum genere oriundus, patre consulari viro natus, ipse Consul, Gordiani senioris Imperatoris pater.

V L P I A **G O R D I A N A** originem suam à Traiano Imperatore ducens, Metii Marulli vxor, mater Gordiani senioris Imperatoris.